LEGUM

SOLONIS ET DECEMVIRALIUM COMPARATIO.

PARS Ima.

De Debitoribus.

CAPUT Imum.

De dissimilitudine legum Solonis et Decemviralium.

Inutilis et inanis labor illorum est, qui origines legum Decemviralium in Solonis et Lycurgi Institutis investigant a). Rem ab aliis copiose tractatam b) referre non lubet, hoc solum meminisse sufficiet, errare omnes qui similitudine quadam inter Graecas et Romanas leges intercedente capti, in iis primordia institutorum Romanorum scrutantur. Lepidas enim fabellas, quas Livi-

a) Magna scriptorum turba est, qui in Liviana verba (Historiar. libr. III. cap. 32. 33.) male a se intellecta jurant; quorum imprimis *C. Bouchaud* (Commentaire sur la loi de XII Tables, Paris 1800) notandus.

b) *Bonami* in Memoires de l'Academie française des inscriptions Tom XII. *C. Hausen*, Einige Bemerkungen aus den röm: Alterthümern Frf. a O. 1796. Convenit quoque cum scriptoribus supra dictis doctus quidam Gallus *P. C. Levesque*, doctior. saltem populari suo C. Bouchaud. In libro enim qui inscribitur: *Histoire Critique de la Republique Romaine Paris* 1807. quem mecum vir humaniss. et eruditissimus *Xaverius Szaniawski* Canonicus Cathedralis Varsaviensis et in Universitate Literaria quae in hac urbe floret Prof. P. O. communicavit, dicit (T. 1. p. 190.) *ils ont*

us c) et Dionysius Halicarnasseus d) de origine legum XII. Tab. proferunt, si recte inspexerimus, id apparebit: plebem Romanam tunc temporis cum sibi novas leges dari posceret, hoc praecipue agitasse, ut jus nonscriptum, quo hactenus Romani utebantur, in unum corpus colligeretur, unde copia ediscendi cuilibet civium foret, quid lege concessum, quidve vetitum esset.

Has autem, si cum illis legibus, quas Atheniensibus Solon Salaminius non sorte sed suffragio Archon creatus e) conscripserat, comparaveris, non solum dissimillimas, sed plane inter se discrepantes invenies. Licet enim iniquitate temporum fragmenta solum ex hoc praeclaro juris corpore ad nos pervenerint, tamen si vel illa recte inspiciamus, diligenterque intueamur, genuina vis ac indoles tum ipsarum legum, tum hominis, qui illas tulerat, elucet. Sunt enim plenae humanitatis, nam a viro quem universi Orbis Antiqui decus et ornamentum juste appellaveris f) conscriptae, qui omnia quae vel absona vel aetatis suae hominibus inepta viderat, partim abolevit, partim cum melioribus ex arbitrio a se prolatis commutavit. Quo factum est, ut omnia Attica instituta aut meliora antiquis legibus aut ingenio hominum, quibus condita erant, aptiora evaderent.

Diversam plane viam sequi Decemviri legibus scribundis anno CCCII. ab U. C. Romae constituti, sibi proposuerunt; qui nulla ratione habita quid aequius meliusve esset, has solum leges, ut memoravimus, conscribi curarunt, quae hucusque Romae usurpabantur. Quo magis itaque dissimilitudo inter Atticas et Romanas leges adpareat, utrasque comparare statuimus. Qui etsi iniquus, molestus, nec a quovis adhuc, quantum scimus, tentatus labor est g), non tamen

crut qu'elles avaient eté recueillies d'aprés de curieuses recherches, dans la legislation des peuples les plus renommés de la Grece.

c) l. c.

d) Antiquit. libr. X.

e) Aelianus Variar. Historiar. VIII. 10.

f) De Solone rebusque ab eo gestis copiose tractarunt: Plutarchus in vita Solonis, Diogenes Laërtius libr. I. Jo. Meursius in Solone (cf. Gronovii Thesaur. Antiq. Graecar. vol. V. p. 1993. sqq.) et in Archontibus Atheniens. (ibid. IV. p. 1171.) Wesselingius in praefat. ad S. Petiti leges Atticas (in Heineccii Jurisprudent. Attica et Romana Lugd. Bat. 1738), omissis libris a recentioribus conscriptis, qui omnes fere ex his fluxerunt.

g) Nonnullos equidem in hac palestra desudasse scio, qui tamen omnes praecipue *Pardulphus Pratejus* (in Jurisprudentia veteri Draconis et Solonis Lugduni

injucundus nec inutilis, cum ad utriusque populi leges recte cognoscendas admodum prosit. Primum autem eas leges illustrare intendo, quae in nexos ob aes alienum a Solone et Decemviris perlatae sunt. Quam disquisitionem, si quidem haecce lectoribus placuerit, mox alià, ejusdem argumenti, sequetur.

CAPUT II.

De legibus Solonis in nexos ob aes alienum perlatis.

Leges Solonis, ut a Draconis sanctionibus (θεσμοῖς) distinguerentur, proprio, *Legum* nempe nomine (νόμους), adpellatas fuisse, inter omnes constat a). Harum autem aliae de publicis, aliae de privatis rebus, agebant. Illae a cyrbibus quibus inscriptae fuerant, κύρβεις vocatae, hae, cum axibus incisae essent, ἄξονες adppellatae sunt b). Axonum autem ii, quibus leges in gratiam nexorum ob aes alienum Solon inscripserat, memoratu dignissimi nobis esse videntur; operae pretium itaque est, ut paucis de illis agamus.

Cum Soloni universae civitatis consensu permissum fuisset, ut quicquid sibi melius aequius videretur institueret, omnia vero unde res publica quicquam detrimenti capere posset aut plane derogaret, aut cum melioribus mutaret, hac occasione vir sapientissimus usus est, ut plebi miserrimae, a divitibus ob aes alienum a se factum hucusque oppressae, succurreret.

1569) et *Fulvius Ursinus* (in Comparatione legum Atticar. et Romanar. cf. Thesaurus Juris a celeberrimo *Ottone* editus Tom. IV.) id inprimis assequi conabantur ut similitudinem inter Graecas et Romanas leges intercedentem ostenderent.

a) Meursius in Solone l. V, p. 1993.

b) In Axonibus leges privatas in cyrbibus leges publicas exaratas fuisse, *Harpocration* s. v. ἄξονες et κύρβεις, *Etymolog. Magn.* s. v. ἄξονες, *Ammonius* de different. verbor. et *Meursius* (l. c. p. 1945) docent. Contrariam opinionem Plutarchus in Vita Solonis cap. 19. 24. et auctores quos *Schneiderus* in Glossario suo s. v. κύρβεις citat, tuentur. Equidem utraque opinione comparata, affirmare ausim, ἄξονες et κύρβεις tam privatas quam publicas leges continuisse. Veteribus enim distributiones illae et divisiones systematicae, quibus recentiores mire delectantur, ignotae erant. Quod cum multis argumentis, tum inde probari posse puto, quod Romanae XII. Tab. leges eodem modo quo leges Solonis conditae essent, licet nonnullis contra videatur.

Intolerandam superbiam et avaritiam qua ditiores in plebem inopem tunc saeviebant, Plutarchus memoriae tradidit c), quae tanta fuit, ut plerique debitorum aere alieno oppressi d), in vincula ducti, serviles operas praestare cogerentur. Neque eo perniciosissimos foeneratores contentos fuisse idem scriptor testis est, sed iidem alios debitorum qui sibi non satisdederint venum dabant, alios ultimis paenis affligebant, adeo quidem, ut plurimi solum, in quo nati educatique erant, vertere, quam a creditoribus in urbe patria ultimas miserias pati, mallent.

Quod cum Solon animadvertisset, summopere conatus est, huic foenebri pesti, ultima quaeque minanti, medicinam opponere. Itaque Plutarcho e) et Diogene Laërtio e) auctoribus duabus legibus miserae plebi succurrit, altera qua vetuit ne creditores in corpus debitoris foenerarentur altera quam σεισαχθείαν f) id est oneris relevationem, (ut recte Salmasius de modo Usurarum g) id verbum interpretatur h) adpellavit,) huic malo obviam ivit, cum pondere nummorum diminuto statuisset, ut secundum formulam nummariam recens a se conditam debitores creditoribus aes alienum exsolverent i). Ita enim mentem hujus legis accipiendam esse, cum ex iis locis, quae doctissimus Au-

---

c) in vita Solonis cap. 13.

d) l. c. cap. 15.

e) in vita Solonis cap. 20.

f) Diodorus Siculus (Bibl. histor. I. 79.) narrat, Solonem hanc legem ex AEgypto Athenas transtulisse, nulla ratione addita, nisi, regem AEgyptiorum Bochoridem dudum ante Solonem corpora debitorum creditoribus addici vetuisse. Quo cum *Petitus* (in Comment. in leges Atticas p. 414. Parisiis 1635) convenit. Sed haec opinio mihi non placet, quippe qui videam, periculosum ac temerarium esse, ex similitudine legum originem et primordia earum, divinare velle. Multa enim instituta et apud nos invenies, quibus vicinae nobis gentes utuntur; quae si a finitimis nos usurpasse asserueris, aeque ac Diodorus Siculus, ab omnibus qui sapiunt, deridebere.

g) p. 748. h) Inepte *Amyot* Gallus (Les vies des hommes illustres de Plutarque Tom. I. Paris 1801. p. 311.) de hac re garrulatur: *cela est premierement venu de l'invention de Solon, le quel appella l'abolition de dettes Seisachteian qui vault autant à dire, comme decharge.* Quod minor neque ab Joanne Rualdo, neque ab Jo. Jacobo Reiskio notatum esse.

i) Die Staatshaushaltung der Athener vier Bücher von August Boëckh. Berlin 1816, 1817. Band I. 17. 139. 142. 143. Band II. 15. 17. 29.

gustus Boëckhius Professor Berolinensis k) citat, tum ex *Etymologico Magno* Hesychio l) (ubi σείσαχθαι scriptum est, quod in σεισαχθεία mutare malim, et Plutarcho m) probatur. Quorum ultimus narrat, Atheniensem legislatorem hoc verbo potius quam χρέων ἀποκοπῆς institutum suum ideo designasse, quod venustas et elegantià morum, animis Atheniensium virtutes insitae ei suasissent, ut δυσχερείας πραγμάτων ὀνόμασι χρηστοῖς obtegeret.

Haec de ipsis legibus Solonis dicta sunto. De effectu vero hujusce legis, quin agamus, otium nobis idem paulo supra laudatus Plutarchus fecit, qui in hunc modum Solonem cantantem inducit:

Δήμῳ μὲν γὰρ ἔδωκα τόσον Κράτος ὅσσον ἐπαρκεῖ
Τιμῆς ὔτ' ἀφελῶν ὔτ' ἐπορεξάμενος.
Οἳ δ' εἶχον δύναμιν, καὶ χρήμασιν ἦσαν ἀγητοὶ,
Καὶ τοῖς ἐφρασάμην μηδὲν ἀεικὲς ἔχειν.
Ἔστην δ' ἀμφιβαλὼν κρατερὸν σάκος ἀμφοτέροισι
Νικᾶν δ' ὐκ εἴασ' ὐδετέρυς ἀδίκως.

Et paulo antea ait, ὅτι τῆς τε πρὺποκειμένης γῆς Ὅρυς n) ἀνεῖλε πανταχῆ πεπηγότας, πρόσθεν δὲ δυλεύυσα, νῦν ἐλευθέρα. Καὶ τῶν ἀγωγίμων πρὸς ἀργύριον γεγονότων πολιτῶν, τὺς μὲν ἀπήγαγεν ἀπὸ ξένης, γλῶσσαν ὐκ Ἀττικὴν ἱέντας, ὡς ἂν πολλαχῆ πλανωμένυς, τὺς δ' ἐνθάδ' αὐτῦ δυλοσύνην ἀεικέα ἔχοντας, ἐλευθέρυς φησὶ ποιῆσαι.

---

k) Id institutum Romani *tabulas novas* vocaverunt (de quibus vid. Cicero Off. II. 23. Orat. in Catil. 8. Caesar de Bello Civili III. 1. Seneca de Benef. I. 4. Quintil. declamat. 336) hoc enim nomine Plutarchus in vita Jul. Caesaris T. IV. p. 235. id appellat.

l) s. v. σεισαχθεία.

m) l. c.

n) Ita appellabantur columnae vel lapides positi ad domum vel in finibus agri hypothecae dati, in quibus scribebatur quam magno aere alieno res oppignorata esset. Testimonia huic loco enucleando idonea Aug. Boëckhius l. c. p. 142. nota 620. collegit. Id institutum neque Romanis ignotum fuisse Cujacius (Observat. XVI. 12) adfirmat, sed loca quae citat, (*fr.* 22. §. 2 *D. Quod vi aut clam. C.* 1. 2. *C. Ut. nemini liceat*) ambigua sunt, cum de quibusnam tabulis adfixis sermo ibi sit, non constet.

Non tacendum tamen est Plutarchum ipsum referre: fuisse nonnullos homines qui putaverint, hac Solonis lege omnia debita aeris alieni expuncta esse, quod quidem factum ab eo fuisse crediderint in gratiam Cliniae, Cononis, et Hipponici amicorum, qui magnam pecuniae copiam a foeneratoribus eo consilio mutuaverint, ut ad Solonis legem creditoribus non redderetur nisi diminuta, eaque parte magna levior. Solonem vero cum invidiam sibi inde concitatam sensisset, suo ipsius exemplo hominibus persuasisse se novas tabulas fieri velle, ideoque omne aes suum debitoribus remisisse, quod quantum fuerit, non constat. o).

Relationem hanc si cum priori a nobis prodita comparaveris, alteram alteri contradicere animadvertes. Equidem cum magnitudine tum sapientia legislatoris Attici motus, facinus id quo a malevolis arguitur, et quod Cicero p) quam maxime improbat, eum non commisisse affirmare ausim. Nam quanquam negari non possit, Solonem etsi injuste, prudenter tamen rem obaeratorum gessisse (quippe qui nihil religioni sibi duxerit, ea pecunia foeneratores fraudare, quam rem foenebrem exercentes injuste adquisiverant) attamen si vitam hujus viri percurramus, ingeniumque ejus et genuinam animi indolem animadvertamus, eum id facinus committere non potuisse affirmare non dubitabimus. Quamobrem opinionem priorem lubentissime sequimur, eo magis, cum et alii eam adprobent. p)

CAPUT III.

De lege Decemvirali ejusdem tenoris.

Idem mos oppressos aere alieno in vincula ducendi, et nisi debitum solverint, in nervo et compedibus tenendi, quem supra apud Athenienses usum obtinuisse ostendimus, moribus et longa consuetudine Romae valuit. Jam enim Servius Tullius rex, aeque de republica Romana ac Solon de civibus suis meritus, legem hanc inhumanam sustulisse fertur. Rem Dionysius Halicarnasseus, his verbis memoriae mandavit a): ὅσοι δ᾽ ἂν μετὰ ταυτὰ δανεισῶνται, τούτους οὐκ ἐάσω (verba sunt Servii Tullii) πρὸς τὰ χρέα ἀπάγεσθαι, ἀλλὰ νόμον θήσω, μήδενα δάνειζειν ἐπὶ σώμασιν ἐλευθέροισ, ἱκανὸν ἡγούμενος τοῖς δανεισαῖς τάς οὐσίας τῶν συμβαλλόντων κρατεῖν.

o) Plutarchus l. c. cap. 15. Diog. Laërt. l. c.
p) Cicero l. c.
q) Boëckh. l. c. Tom II. p. 15.
a) lib. IV. p. 215. (ed. Sylb.)

Paulo attentius verba haec si legeris, facile deprehendes, lege inhumanissima de qua Servius Tullius verba facit, ab ipsis fere incunabulis regni Romanos usos fuisse. Hinc orta est apud nos opinio, Servium de hac lege veluti re vulgari omnibusque nota loqui. Nec minus id ad comprobandam opinionem nostram facere puto, quod, ut infra ostendemus, usque ad seram posteritatem Romae valuerit, cum duris, ne dicam inhumanis Romanorum ingeniis, innata fuisse videatur. Licet enim ab humanissimo mitisque ingenii rege sublata esset, adeo tamen Romanis accepta erat, ut non solum usque ad XII. Tabular. leges usu et consuetudine valeret, sed etiam a Decemviris in tabulas legum quas condiderant, relata esset. Causam hujus rei, ne id quod diximus ridicule a nobis prolatum putes, vel tribus verbis peragam.

Omnium primum attendendum est, *dominium* rei longe majorem securitatem ac ipsae obligationes contractae, praebere. Hoc enim nisi casu vel culpa nostra non amittitur; illae autem cum persona ipsius debitoris junctae, omnibusque incommodis quae in nos cadere solent expositae atque obnoxiae sint, fieri potest, ut spe citius, re, quam tuam esse putes, priveris. Quapropter plurimum reipublicae interesse debet tales leges ferri, quibus obligationes contractae eandem securitatem ac ipsum dominium praebeant. Quod Romani ut assequerentur, jam antiquissimis temporibus ex quibus nobis monumenta supersunt constituerunt b), ut debitor ad creditorem suum dominium rei obaeratae per mancipationem transferret, quae in dominio creditoris ex Jure Quiritium eo usque esset, donec debitum solutum foret. Res hoc modo obligata fiducia seu mancipatio lege fiduciaria contracta appellabatur. Quod si nulla res, quam transferret, debitori erat, operas suas oppignorare nexumque inire debuit c). Hinc apud Romanos ortus est mos nexu et mancipatione obligationes ineundi.

Hactenus de ratione hujus instituti; nunc de ipsa conditione nexorum disserere nobis placet.

Quidquid de miserrima conditione nexorum Atticorum Plutarchum ducem sequuti diximus, eadem de obligatis nexu Romae scriptores Latini tradunt, atrocissimas paenas in eos exercitas commemorantes. Nam licet regibus exactis, quo magis sibi animos plebis patricii conciliarent, moderatius ac postea factum est plebem tractarent, tamen cum Tarquinius Superbus anno CCLIX. ab U. C. Cumis supremum diem obiisset, plebi, cui ad eam diem summa ope in-

---

b) Isidori Hispalensis Originum libr. V. cap. 25.
c) Livius II. 23.

servitum erat, injuriae a primoribus fieri coepere. Eodem enim anno omnis plebs fremebat: se foris pro imperio et libertate dimicantem domi a civibus capi et opprimi, tutioremque inter hostes quam inter cives libertatem sibi esse.

Insigne exemplum atrocis crudelitatis in nexos ob aes alienum a creditoribus exercitatae Livius memoriae tradidit d), homine ut adparet non ignobili loco nato (honestum enim ordinem in exercitu, priusquam nexum iniisset se duxisse, multaque stipendia fecisse ipse fatetur), conquerente inducto, quod: cum propter populationes agri non modo fructu caruerit, sed etiam villam incensam habuerit, et cum omnibus direptis pecoribus abactis, tributum iniquo tempore imperatum sibi fuisset, et ad exsolvendum id aes alienum fecisset idque cumulatum usuris esset, primo se agro paterno avitoque, deinde fortunis omnibus exuisse, postremo veluti tabem ad corpus pervenisse ait. Ductum se deinceps a creditore fuisse dicit, non in servitium sed in ergastulum atque carnificinam e).

Quod crudelitatis exemplum si cum illo a Plutarcho relato comparaveris, miseriorem conditionem nexorum Romanorum nexis Atticis fuisse, animadvertes. Ex illo enim id solum quanta tocullionum erga debitores crudelitas et misera avaritia fuerit, ex hoc vero, nexos ob aes alienum Romae ultimis poenis et cruciatibus afflictos fuisse legibus ipsis id concedentibus, ut infra ostendemus, patet.

Jam vero si ipsam legem Solonis cum Decemvirali in nexos ob aes alienum lata comparaveris, haec summa rei conficitur: Solonem ne in corpus debitorum creditores foenerarentur, vetuisse; Decemviros vero non solum id permisisse sed etiam debitorem aere oppressum capite plecti vel trans Tiberim venum dari jussisse, si autem plures creditores forent quibus reus addictus esset, secare, partirique *humanum corpus* permisisse. Rem Favorinus Philosophus apud Gellium luculenter exposuit f), prolato ipso carmine legis: TERTIIS. NUNDINIS. PARTEIS. SECANTO. SI. PLUS. MINUS. VE. SECUERUNT. SE. FRAUDE. ESTO g).

Non

---

d) Livius l. c. et VIII. 28.

e) Livius VI. 14. 34. 36.

f) Sermonem familiarem Favorini Philosophi et Sexti Caecilii Sabini Jcti, de lege nostra A. Gellius (Noct. Att. XX. 1.) memoriae prodidit. Favorinus in hunc modum fecisse verba fertur: *Nam de immanitate illa secandi partiendique humani corporis, si unus ob pecuniam debitam judicatus, addictusque sit pluribus, non libet meminisse, et piget referre. Quid enim videri potest efferatius?*

Non deerant male religiosi h) qui hoc severitatis Romanae manifestum documentum in diversas partes rapere, et pro ingenii sui indole interpretari conarentur. Sunt enim qui verbis nonnullis auctorum classicorum male a se intellectis confisi, non de sectione humani corporis, sed de bonis debitorum vendendis id intelligi voluerunt. Sed homines huic opinioni addictos errare, paucis ostendere licet.

Inprimis J. G. Heineccius notandus est i), qui licet de eleganti Juris prudentia optime meritus sit, plurima tamen in operibus a se editis inepta protulit. Audiamus ipsum quibus ratiunculis rem suam defendat. *Minus vero similis*, (verba Heineccia sunt) *est prior* (Sabinianam innuit) *sententia, permissum scilicet fuisse creditoribus, corpus obaerati dissecare. Quis enim adeo fuisset stolidus, ut non majore lucro, et minore inhumanitatis fama, servilibus operis obaeratorum uti, vel ipsos trans Tiberim venumdare maluisset?*

Satis ingeniosam attamen falsam hanc interpretationem esse, quis non videt? Equidem ex Heineccio quaerere velim, unde sibi de hac re compertum fuerit? Testimonia enim quae ad confirmandam opinionem suam citat, nullius plane momenti sunt, cum ex auctoribus recentioribus legum XII. Tabular. petita sint. Quapropter nemo diffitebitur, melius Heineccio Sextum Caecilium Sabinum Ictum k) carmen legis intellexisse, qui, non solum Favorini opinionem de legibus XII. Tabular. probavit, sed ipse etiam rei firmandae causa haec protulit: „nihil profecto immitius, nihil immanius, nisi, ut re ipsa adparet, *eo*

2

quid ab hominis ingenio diversius, quam quod membra et artus inopis debitoris brevissimo laniatu distrahebantur, sicut nunc bona venum distrahuntur? Cui. Sextus Caecilius Sabinus his quae infra proferemus, respondit. Opinioni Favorino probatae Quinctilianus *Institut. Orator. III.* 6. et Tertullianus Apolog. Chr. cap 4. adsentiunt.

g) Concessum praeterea creditoribus erat, reum secum in vincula ductum vincire aut nervo, aut compedibus, quindecim pondo *ne majore* aut si vellet *minore*. Quibus verbis editor A. Gellii Bipontinus transpositis, fecit, ut contraria opinio ex iis elicere-tur, licet jam dudum Cujacius (Observat. III. 39.) id refutasset. cf. Hugo R. Rechtsgesch. p. 218. ed. VIta.

h) Quos enumerat C. Bouchaud l. c. p. 176.

i) Antiquit. Romanar: III. 30. 4.

k) v. Gellius l. c.

„ *consilio tanta immanitas poenae denunciata est,* *ne ad eam unquam* „ *perveniretur.* Addici namque nunc et vinciri multos videmus, quia vinculorum poenam teterrimi homines contemnunt. Dissectum esse antiquitus neminem equidem neque legi, neque audivi, quoniam saevitia ista poenae contemni non quita est."

Hactenus de lege ipsa et Heineciana opinione. Desiderantes solidiorem hac de re doctrinam percipere, evolvant clarissimum Niebuhrii opus l), in quo vir doctissimus optime de eleganti Jurisprudentia meritus, cum felicissimo successu ineptas opiniones eorum, qui contrariam sententiam tuentur, profligavit, cum recte monuisset: legis carmini SI. PLUS. MINUS. VE. SECUERUNT. SE. FRAUDE. ESTO. cardinem rei inesse. Errant itaque Heineccianae opinionis sectatores qui ex illis verbis sensum, *ne id vitio creditori duceretur, si pluris minorisve obaeratum debitorem distraxisset*, elicere student, rem Varronianae opinioni m) de sectione bonorum, adaptare conantes n), cum minore pretio distractus debitor ipsis creditoribus damnum intulisset, majore pretio vero lucro non fuisset, cum legibus cautum esset: ut partem pretii e venditione collectam, debitum suum excedentem, successoribus debitoris creditores redderent.

Impudentiorem Heineccio quidam Franco-Gallus, quem C. Bouchaud vocant, se gerit. In libro enim supra a nobis citato (ad quem concinnandum multorum Virorum Doctorum scrinia expilavit, nihilque plane ex sua doctrina addidit) postquam ad refutandam opinionem Quinctiliani, Tertulliani et Sabini Icti omnia undique conquisiverat, verbaque legum XII. Tabular. ex Cicerone et Horatio illustrare conatus erat, in haec tandem erupit: *Quoi qu'il en soit, le cri d'humanité nous porte à croire, que ce chef de la loi ne doit pas se prendre à la lettre dans un sens figuré. Si l'on consulte les annales de l'histoire Romaine il est manifeste que l'esprit de cette loi* (quam haec inepta sunt!) *fut en general d'adoucir le sort de debiteurs.*

Viden' impudentiam hominis? qui historiarum libros quos ni fallor, neque evolverat neque legerat, ad refellendam opinionem suam commemorat? o) Ean-

---

l) Geschichte von Rom, Band II. p. 313. (sqq. Berlin 1811.)

m) de Re Rustica II. 10. 4.

n) Ita verba legis nostrae C. Bouchaud (l. v. p. 181.) interpretatur: *Si ce debiteur, dont la vente devoit se faire à l'ençan au profit de tous les creanciers à eté*

dem enim conditionem nexorum, quam supra ostendimus, usque ad legem Poetiliam, Papiriam permansisse plurimis documentis probare possemus, si rem lippis tonsoribusque notam recantare operae pretium esse videretur. Sed nugas absurdissimas refutare, diutiusque in hac re morari piget. Quapropter priusquam ad concludendam hanc dissertationem accedamus, de novissima interpretatione verborum A. Gellii nonnulla proferenda sunt.

Prodita haec est ab illustr. Gustavo Hugone p), elegantis Jurisprudentiae nostra aetate magno sospitatore, qui Bynkershoeckii Batavi, jam ante Heineccium carmen legis supra dictae de bonis debitoris obaerati dissecandis interpretantis, opinione improbata, verba legum XII. Tab. ita exposuit, ut ea de usuris a creditoribus in gratiam dissecandi debitoris remittendis intelligeret. Sed (pace id viri doctissimi, Magistri mei optimi dicam), interpretatio haec plane sensu caret. Nonne enim ridiculum est, credere velle, lege cautum fuisse: ne id vitio creditoribus duceretur, quod plus minusve aeris sui debitoribus remisissent, cum potius laudi id tribuendum esset, quod adeo humane cum reo egissent, ut ab eo minus, quam sibi debebatur, peterent? Ultra autem debitum petere eos non potuisse, ex his, quae supra proposuimus, patet.

Nos itaque, licet tot tantosque Viros cum fama tum eruditione celebres adversarios habeamus, contendere non dubitamus q) de corpore humano disse-

vendu par l'un d'eux moins, que son veritable prix, on n'en fera point un crime à creancier; mais le produit de la vente n'en sera pas moins distribuè entre tous les creanciers, proportion gradeé de ce qui est du à chacun d'eux. Comme cette vente à l'ençan se fait publiquement, la publicité de l'acte ecarte tout soupçon de la supercherie.

o) Nam ex ipsis annalibus historiae Romanae patet, Romanos neque ab hostiis humanis sese abstinuisse. (Livius XX. 34. XXII. 57. vide auctores quos Freinsheimius ad concinnanda capita 16. et 17. libri LXIII. Supplementorum Livianorum adhibuit). Quid itaque vetat, quominus de secando humano corpore legem nostram latam fuisse credamus, præsertim, cum id auctores veteres probent? Praeclare de hac re P. C. Levesque (l. v. p. 192.) his verbis agit: *je crois — que plusieurs ont etè dictées* (de antiquis Romanis legibus loquitur) *par la superstition.*

p) R. Rechtsgesch l. c. *wo* partes secanto *sehr wohl heissen kann, sie sollen die Foderung theilen, einige Procente, wie wir ſagen, ſchwinden laſſen.*

q) Id etiam affirmat saepe jam laudatus P. C. Levesque (p. 220. l. c.): *les anciens devaient connaitre mieux que nous les sens que les Romains de leur tems donnaient*

candō legem nostram intelligi debere, etsi Sabinum Ictum ducem secuti adversariis nostris concedamus: nullum inopem debitorem Romae vel ubicumque terrarum neque dissectum fuisse neque dissecari. Id enim atrox facinus, quod ipsa humanitas abhorret, apud Romanos nunquam commissum fuisse, supra prolata probant. Nam veteres Romani, etsi semibarbari eousque crudelitatis processisse putari non possunt, ut anthropophagi credantur. Itaque affirmare ausim: legem hanc terroris fideique servandae causa a Romanis latam fuisse, quam in negotiorum contractibus maximeque in pecuniae mutuatitiae usu majores suos observasse Ictus Romanus supra laudatus ait. Haec igitur contendentes Criticos, si quid rectius melius noverint, candidi ut impertiant, sin minus, ut his nobiscum utantur, rogamus. Qui etiam admonendi sunt similem legem in antiquo Jure Germanico deprehendi, ut id ill. Jacobus Grimm, Electoris Hassorum Bibliothecae praefectus nuper monuit r). Caveant tamen inde cum ill. Zachariae Professore Heidelbergensi colligere velint, Romanos a Germanis originem ducere, jusque Civile Romanum ex jure Germanico illustrari debere.

Ex his quae hucusque a nobis prolata sunt patet: Decemviros legibus scribundis Romae constitutos, neque hanc neque reliquas leges, quarum fragmenta supersunt, Athenis Romam transtulisse (quod alio loco, ut supra indicavimus, uberius expósituri sumus), etsi negari non potest plurimas Romanas leges Atticis similes videri. Utcumque res se habet, ridiculum est eas ad Jurisprudentiam Atticam referre, peregrinisque institutis genuinas Romanas leges supponere velle, ut id multi, rerum novarum cupidi, faciunt. Monumenta enim rerum gestarum si recte inspiciamus, plurima instituta, consuetudines et leges, apud populos lingua et moribus dissimiles invenimus, quae licet congruere inter se videantur, nemo tamen nisi sana ratione destitutus, a confinibus populis translatas esse dicet. Jam vero si dissimilitudinem legum indagare tibi placet, non formam externam nec verba legis aucupari debes, sed indolem atque naturam juris scrutari s). Quod cum alii tum nos monuimus, ostendimusque alias leges de nexu Atheniensibus alias Romanis fuisse, licet multi eandem naturam utrasque habuisse credant. Quae falsa sunt. Nam primum anno CCCCXXIII. ab U. C.

à la loi; ils avoient des ecrits que nous n'avons pas, et qui leur apprenaient les sens, qu'on y avoit donné avant eux, et tous l'ont entendue de même, et en ont accusé l'extreme dureté.

r) Savigny's Zeitschrift für die geschichtliche Rechtswissenschaft Band II. p. 86. (sqq.)

s) Cicero pro Caecina cap. 18. 23. 28. Celsus fr. 17. D. de Legib. *scire leges non est verba legum tenere, sed vim ac potestatem.*

Poetel'o et L. Papirio Coss. plebi Romanae velut aliud initium libertatis factum esse Livius monet t), quod ligari nexi desierint, jussique Coss. ad populum ferre, ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec poenam lueret, in compedibus aut nervo teneretur, pecuniaeque creditae bona debitoris non corpus obnoxium esset Tum demum nexi soluti, cautumque in posterum, ne necterentur u); quod ante quadringentos fere annos a Solone factum fuisse, supra ostendimus. Operae tamen pretium esse videtur considerare, quam difficile abolitu sit, quo semel, ut ajunt, infecta testa odore inveniatur. Legem enim, quae debitores in nervo teneri vetuit, licet saepius postea abrogata esset, ad Masurii Sabini Icti aetatem valuisse, et nos auctore Gellio docuimus, et clarissimus Salmasius jam dudum id monuit.

t) lib. VIII. cap. 28.
u) Varro de L. L. lib. VI. p. 58. (ed. Dyonis. Godofredi): *id C. Popilio rogante, Sulla dictatore sublatum, ne fieret; et omneis, qui bonam copiam ejurarent, ne essent nexi, dissoluti.* Festus s. v. lex unciaria.

Re itaque exposita pauca ad vos Adolescentes humanissimi et ornatissimi praefari liceat, ad vos praecipue, qui absolutis studiis quibus in scholis juvenes formari solent, Lyceo nostro valedicitis. Vester enim amor et pietas cujus toties documenta mihi dedistis, adeo vobis animum meum devinxit, ut, nisi laetarer, Vos confecto cursu scholastico, ducibus viris celeberrimis, qui in Academia nostra summa cum laude literas profitentur, altiora appetituros, dolorem meum, quo Vobis orbatus affectum me esse sentio, lenire non possem Ut itaque quoquo modo gratias Vobis debitas redderem, et aes alienum quod apud Vos contraxisse mihi videor exsolverem, hanc Commentationem ex Antiquitatibus Atticis et Romanis materia sumpta Vestrum causa conscripsi, duplici ratione motus, cum et lege tam horrendi carminis commonefactus quantum sit bo-

ni debitoris officium mecum perpenderem, tum, ut haec quoque etiam ego Vobis in memoriam revocarem, quorum Vos toties *Vir summus, gentis nostrae Decus et Ornamentum*, de Vobis formandis, erudiendis et excolendis optime meritus, S. Th. Linde *Lycei Regii Varsaviensis Rector doctissimus* admonebat: *proprio indefesso studio incumbendum esse literis et disciplinis, nec sufficere ut sciamus quae alii censeant, sed ut ipsi quae vera sint indagemus, et inde genuinam scientiam nobis comparemus.* Sive igitur privatim sive publice ad altiora litterarum et eruditionis fastigia eniti volueritis, id Vobis semper propositum sit, ne unquam in verba magistri juretis, sed, ut semper ex ipsis fontibus hauriatis. Quod quidem si cuiquam literarum studioso ante oculos versari debet, certe prae caeteris id Vobis in memoria haereat necesse est, qui studiis quae ab humanitate nomen sibi vindicant, et Jurisprudentiae, cum studiis illis arctissimo vinculo junctae, operam daturi estis, ne Vobis id accidat quod a limine scholas salutantibus et literas non nisi ad usum forensem obiter degustantibus evenire solet, ut Aebutio illi Ciceroniano *) similes habeantur. Quod periculum ne incurratis praestare potest degustata ipsorum fontium dulcedo, a quibus jam nemo facile arcetur, cujus animum semel veritatis sensu praecellens studiorum amor afflaverit.

Wenceslaus Alexander Macieiowski.

---

*) Cicero in Orat. pro Caecina cap. 5.